

Pio IX Pontifice Maximo, ad Americae Latinae Ephobos in scientiis ac pietate imbuendos. Ita debitum Christi Vicario obsequium praestabitur, qui nuper per S. Studiorum Congregationem haec minime dedignatus est conscribere: « Ut tam benemerito Collegio Pio « Latino-Americano in Urbe honoris gratique animi te- « stimonium exhibeatur, eique novae adiungantur vires, « Rm̄i huius Archidioecesis Archiepiscopi, incoeptis « usque insistentes, valentiores iuvenes celebrioribus in « Urbe Professoribus erudiendos et insigniori laurea « donandos, almo illi Collegio adhuc certo committent, « ut inde e limine Petri Doctorum et Professorum « purior origo habeatur » (Constit. Univ. Mex. c. v, art. LIV).

CAPUT VII. — *De Universitate Studiorum Ecclesiasticorum.*

183. — Constitutiones a Sede Apostolica probatas pro Universitate Mexicana adamussim religioseque servantur.

184. — In Dioecesibus ubi privilegio et auctoritate Apostolica aliqui gradus academici per Ordinarium conferri possunt, quoad studia, probationes eaque omnia quae graduum collationem debent praecedere, Constitutiones servantur Universitatis Mexicanae, nisi propria habeantur statuta a S. Studiorum Congregatione recognita et probata.

185. — Moderatores Seminarii Mexicani, intra cuius parietes Publica Studiorum Facultas invenitur erecta, sedulo ac pro viribus conabuntur disciplinis gymnasiilibus ac lycealibus, quae superioribus anteire debent facultatibus, tam alte Seminarii Parvi alumnos imbuere, ut, qui ingenii acumine et studiorum assiduitate idonei

videntur, parati dein inveniantur, quum in Seminarium Magnum ingressi fuerint, ad studia superiora tanta cum alacritate arripienda, ut tempore in constitutionibus praefinito sub conditionibus ibidem praesignatis, gradibus academicis possint insigniri.

186. — Eisdem Seminarii moderatores hortamur, ut consilio primum, dein praeceptis, valentiores alumnos inducant ad periculum pro gradibus subeundum.

187. — Episcopos Comprovinciales, in quorum dioecesi nulla Publica Studiorum Facultas a S. Sede invenitur erecta, pariter hortamur, ut praestantiores iuvenes ad Mexicanam Universitatem vel ad Pontificiam Gregorianam Urbis mittere curent, ut gradibus academicis insigniti, in propriis possint deinceps Dioecesibus scientias ecclesiasticas alios edocere, studiorum uniformitatem promovere, iisque muneribus fungi, quae iuxta canones lauream vel licentiam expostulant.

188. — Ut ecclesiasticae eruditioni debitus honor exhibeatur Episcopi prae oculis habeant, Ecclesiae leges non indecorum ducere clericos gradibus academicis insignitos, ceteris paribus, reliquis dioeceseos clericis praeferre.

189. — In Studiorum Universitate lectores satagant, altiore in dies scientiam adipisci ac valentiores evadere.

TITULUS IV.

DE CENSURA ET DIVULGATIONE LIBRORUM
ET EPHEMERIDUM.

190. — Circa censuram, divulgationem et prohibitionem librorum aliorumque scriptorum frequenter legantur et fideliter servantur normae et regulae a SSmo

D. N. Leone Papa XIII statuae in Constitutione Apostolica *Officiorum et munerum*, edita die 21 Ian. 1897 (quae ante revisionem huius Synodi publici iuris facta est) [†] aliaque apostolica praescripta.

191. – Curent Episcopi et Parochi ephemeridum catholicarum scriptoribus et editoribus necnon librorum venditoribus praescriptiones et prohibitiones eiusdem Constitutionis *Officiorum et munerum* vulgari sermone explanare eiusque observantiam promovere.

192. – Scriptores ephemeridum seu diariorum catholicorum prudentiam, charitatem humilemque Episcopis obedientiam aliasque virtutes, quae defensores ac promotores veritatis et christianae honestatis ac pietatis exornare debent, sedulo colere studeant; prae oculis habitis iteratis saluberrimisque monitis Leonis XIII ad catholicos scriptores, quae habentur in plurimis Encyclicis et Epistolis eiusdem Pontificis Maximi.

TITULUS V.

DE CATHOLICIS CONSESSIBUS.

193. – Unionem animorum inter catholicos, ex qua ipsis et societati universae plurima obvenient bona, curent Episcopi sedulo promovere. Sic autem catholicorum mole arctius coadunata, debita cum subiectione et dependentia a propriis Episcopis et Parochis, commune fideles bonum curabunt; ita ut unusquisque quas partes in societate civili peragit, eas recte et christiana honestate exercent, sibi hunc finem praefigens ut ea

[†] Vide Append. n. 6.

civilia iura, quae habent, ad bonum societatis christianae conferant, ad commodum utilitatemque ipsius et ultimo ad christianae religionis tutamentum et fulcimen.

194. – Ut autem haec unio ad huiusmodi fines inter catholicos rite promoveatur, curent Episcopi fideles sensim sine sensu ad eam, qua scripto qua verbis, perducere. Quum denique ita sint inter se catholici uniti et subiecti auctoritati ecclesiasticae ut corpus unum cum uno capite videantur, debita dexterritate curam impendent Episcopi, ut simul collatis inter se consiliis occasionem opportunam temporis et circumstantiarum nanciscantur, quatenus, quum opus fuerit, Consessus catholici celebrentur sub ipsorum dependentia, eaque forma et ratione, quae adhiberi solet in catholicis nationibus. Ita Gens Mexicana facilius percipiet maxima religionis beneficia.